

DISPUTATIO ORDINARIA
DE FORTUNA
ET CASU

Quam

Divinâ annuente gratiâ

Clarissimis & eximiis vi-
ris Dn. Professoribus, humanissimis,
nec non doctissimis Dn. Magistris, veneran-
dis Dn. Baccalaureis & ornatissi-
mis Dn. Studiosis

*17. Aprilis anni c. d. Id. cxiii. in inclyta
Lipsiensi Academia publicè*

Ventilandam proponit

M. JOHANNES ROMMELIUS
Meiningensis Fr.

Respondente

BALTHASARE SIMON Smalcaldensi
optimarum artium & Philosophiæ Baccal.

Scaliger exercitat. CLXXXVIII.

Φύσις Φύει τύχην, Φύσιν τ' ἄχει τύχη.

L I P S I Æ,

Ex Officinâ Typographicâ VALENTINI Am Ende.

Coll. diss. A
98, 74

M. V. 1

~~J. XII. 19.~~ a. XCVIII. 74.

EXIMIO, SPECTABILI ET PRÆ-
STANTISSIMO VIRO

Dn. WOLFGANGO COR-

VINO Medicinæ Licentiato, in cele-
berrima Lipsiensi Academia Professore Phy-
sicæ doctrinæ publico, & pro tempore inclytæ
Facultatis Philosophicæ Decano dignissimo.

Reverendo ac Clarissimo Viro

Dn. M. WOLFGANGO SEBERO

ill. Comitatus Hennebergici Superintenden-
ti, Assessori amplissimi Consistorij dignissimo,
Ecclesiæ Schleusingensium Pastori vigilantiss.
nec non inclytæ Gymnasij Profess. dexterrimo,

Reverendâ pietate, doctrinâq; conspicuo Viro

Dn. JOHANNI GUTHENIO, in ill.
itidem Comitatu Hennebergico Superatten-
denti, Consistorij *παιρέδρω*, pastoriq; Meinin-
gensium vigilantissimo.

Integerrimo deniq; ac Prudentissimo Viro

Dn. CASPARO VVERNERO Senatori & a-
dili Reipubl. Lipsiensis dignissimo

*Dominis fautoribus ac promotoribus suis nullo non ob-
servantia cultu et aetate prosequendis*

Hasce studiorum suorum primitias
in

Grati animi *συμβολον*

Nuncupat, dicat, consecrat

PRÆSES.

Sächs.
Landes-
Bibl.



T H E S E S.

Περὶ τῆς τύχης καὶ τῶν αὐτοματῶν.

I.



Quoniam causa per accidens non modo in superioribus, verum etiam inferioribus disciplinis suum obtinent locum: Jure merito philosophus earum quoque in campo physico contemplationem ut jucundissimam ita & utilissimam, instituit.

II.

In secundo namque libro Φυσικῆς ἀκροάσεως ostensurus media, per qua rerum naturalium affectiones perfecte cognosci queant, ἀπ' αἰτίων οἰκείως λεγομένων τὰ κτ' συμβεβηκὸς removeat, in eorumque classem fortunam & casum collocat.

III.

Quamvis autem omnes haec causa sub uno genere contineantur, earumque explicatio ab Aristotele citato jam loco simul suscipiatur: tamen, ne futura nostra disputatio in latiorem excurrat campum, certis eam cancellis inclusam detinebimus, atque hac vice de fortuna duntaxat & casu placidam συζήτησιν instituemus, 1. erroneas aliorum opiniones, 2. Aristotelicam eamque veram de iis sententiam monstraturi.

IV.

Primum itaque membrum quod attinet, è duabus potissimum classibus non rectè de fortuna & casu sentientes Philosophi prodibant.

V.

Nonnulli enim quicquam fortuito vel casu fieri negabant,

quò quòd nullus effectus sine certa & determinata causa dari possit, quodq; nemo ex Physiologia inventoribus in causarum disquisitione mentionem fortune fecerit.

VI.

Unde Stoici fingebant fatum, quod in connexione, ordine ac dispositione causarum universi adeò necessarià constituebant, ut inevitabili necessitate omnes ab istis sic ordinatis effectus evenire assererent.

VII.

Praecipuam autem astrorum motui, situi, atq; influxioni vim & efficaciam tam in actionibus humanis, iisq; vel bonis vel malis, quàm in ceteris naturalibus effectibus ascribebant, testante Alberto 2. Phys. tract. 2. c. 19. & August. 1. de civit. Dei c. 5. & 6.

VIII.

Quam fatalem necessitatem alij remotà potentià & voluntate divinà causis secundis assignabant.

IX.

Unde fatum definiebant, quòd sit colligatio causarum ex astrorum motibus & vi efficaciam trahens.

X.

Alij verò causarum secundarum ordinem à Deo dependere non quidem inficias ibant: Sed omni interim libertate divinam voluntatem privabant, dicentes, Deum ex natura necessitate immutabili agere.

XI.

Nec desunt, qui statuunt, immutabilem hanc Dei in agendo necessitatem etiam rebus creatis absolutam importare necessitatem, omnesq; causas secundas influxu Dei impellentis, moventis, ordinantis & applicantis necessariò agere id quòd agant. Quocirca Seneca fatum describit, quòd sit necessitas omnium rerum actionumq;, quam nulla vis rumpat, lib. 2. natural. 9. cap. 36.

Verùm

XII.

Verum istas opiniones à veritatis tramite aberrare nemo non videt. Si enim causa secunda fatalem necessitatem ex se & independententer habent, tunc Deus nihil operatur, non est prima causa, dantur plures cause prima, resq; à Deo nec in esse, nec in fieri, nec in operari dependent.

XIII.

Sin immutabilitatis simpliciter necessitas in Deo admittitur, tum libera ipsius voluntati haud parum detrahatur, imò ea planè tollitur.

XIV.

Destruitur insuper liberum hominis arbitrium, omnisq; in rebus creatis contingentia, si dicatur, quòd Dei influxus immutabilem inferioribus necessitatem inferat, nec homo vel puniendus vel premio ornandus, quia ex fatali necessitate ad bonum malumvè cogeretur.

XV.

Quamvis autem fatuum hoc fatum procul à sana philosophia finibus sit abigendum: In vero tamen sensu tam vocabulum, quàm res eodem indigita, admitti possunt.

XVI.

Verum namq; fatum est, quando intelligimus infallibilem ordinem ac dispositionem causarum secundarum à divina providentia ipsis concessam ad producendos suos effectus, quos Deus exactissimè praescit; non sublatà tamen rerum contingentia, humanaq; libertate.

XVII.

Hac ratione fatum essentialiter includit 1. pro materiali causas ipsas certo ordine inter se dispositas, ut particulares cum universalibus, secundas cum prima. 2. pro formali cum ordinationem, quae earum inter se est relatio, tum accommodationem dispositionemq; causarum ad productionem effectuum.

XVIII.

Materialiter igitur consideratum hoc fatum ad effectivis causa genus referri potest: formaliter autem ad relationem.

XIX.

Ordinatio illa causarum mediarum ad effecta cum prout in Deo est, diciturque providentia, tum prout in causis ordinatis atque ad effectus directis perpenditur, fati nomen meretur.

XX.

Estque hic ordo partim mobilis, ut in causis secundis, quae mutationi sunt obnoxia, & in utramque partem inclinanti: partim immobilis, non in se consideratus, sed relate ad Dei providentiam, a qua infallibiliter dependet.

XXI.

Quo posteriori modo unicum duntaxat est fatum in rerum natura, quia unicum datur primum principium, ad quod refertur, a quo causa secunda ordinantur, a quo disponuntur, a quo denique diriguntur ad consequendum effectum. Unde Thomas inquit: fatum poni potest pro providentia divina praordiante omnia, part. I. q. 116. art. I.

XXII.

Sin accipis fatum pro ipsis causis jam ordinatis, tunc numero causarum multiplicato, multiplicantur fata, sicut idem art. 2. citati loci, fatum, ait, dicitur ordo, qui si consideretur per comparationem ad suum principium, unus est, & sic datur unum fatum; sin per relationem ad effectus, multiplicatur. Hinc dicitur:

Fata movere Deus, tollere fata potest.

XXIII.

In qua significatione accepto fato non omnia sunt exposta, teste Boëtio; sunt quadam (ait ille) quae sub providentia locata

locata

locata fati seriem superant, ut creatio, &c. quia immediatè à Deo fiunt: sed ea tantummodò, qua causis secundis subjacent, subduntur fato.

XXIV.

Alterius classis Philosophi licet contrariam huic precedenti forent sententiam: diversas tamen & ipsi opiniones animo conceperunt.

XXV.

Quidam enim, inter quos primus Empedocles, cum in causarum per se $\Delta\lambda\theta\alpha\upsilon\epsilon\psi\delta$ casum prius silentio præterissent, in singulorum postea effectuum explicatione casum & fortunam constituerunt causas: dicentes non solum primas mundi partes, ut sunt caelestia corpora & elementa, sed etiam reliqua mixta tam animata, quam inanimata fieri casu. Quin adeò delirarunt, ut mundum diverso semper modo fieri, aërem non naturâ sed casu superiorem, nonnunquam etiam inferiorem, terramq; supremum obtinere locum affirmarint.

XXVI.

Nonnulli, quorum Coryphaeus fuit Democritus, Coelestia duntaxat corpora & primas mundi partes concursu atomorum fortuito fieri contendebant. Animata autem corpora, cum non quodlibet ex quolibet, sed ex alio semine aliud fieri animadvertenterent, ad propagationem ordinata esse, ab iisq; similia per se generari dicebant.

XXVII.

Quam opinionem Philosophus absurdam esse probat 1. quia præstantiorem causam attribuant vilioribus effectibus, ut animalibus & plantis, infirmiore autem, videlicet casum & fortunam, præstantioribus effectis cælo & mundi primis partibus. 2. Quia in cælo, quod fortuito factum ajunt, nihil fortuito fiat, in animatis autem rebus permulta, ut cum quis thesaurum invenerit.

Nec

XXVIII.

Nec defuerunt denique, qui fortunam numen aliquod occultum & divinum propter multos inopinatos eventus, eorumque causas latentes existimaverint.

XXIX.

Hinc à Romanis multa ei templa & simulacra extructa fuere, variisque nominibus indigitata: ut templum *Fortuna*, *Fortis*, *Male*, *Parva*, *Virginis*, *Privata*, *Publica*, *Obsequentis*, *Virilis*, *Muliebris*, *Convertentis*, *Benesperantis*, *Avertentis*, *Blanda*, *Barbate*, *Mammose*, &c. Sicuti *Livius* & *Plutarchus* in problematibus attestantur.

XXX.

Simulacrum ejus à quibusdam fingebatur in rota sedens, cæcum, unâ parte album, alterâ nigrum: in rota propter inconstantiam, mobilitatem & volubilitatem; cæcum, propter imprudentiam, quòd fortuna iniquè vertat rerum humanarum aleam, bonisque adversa, propitia malis sit: in una parte album propter felicitatem, in altera nigrum propter infelicitatem; teste *Alberto* in 2. *Phys.* super text. 47.

XXXI.

Alij, ut refert *Pausanias* lib. 4. *Fortuna* statuam pingebant capite polum, alterâ manu cornucopia instar dominae gerentem, eò quòd & opes tribuat & rerum humanarum regimen obtineat. Unde *Virgilius* omnipotentem eam vocat.

XXXII.

Sed hanc stolidam & absurdam opinionem refutatam vide apud *Augustinum* lib. 4. de civit. Dei c. 18. & *Lactantium* lib. 3. c. 28. & 29. qui inter alia exinde etiam *Et hnicorum* insaniam deprehendi posse affirmat, quòd sexum *Fortuna* mutaverint, & ex Dea, quam vulgus colebat, Deum fecerint, quem *Philosophi*, qui in re stulta sapientes esse volebant.

Nec

XXXIII.

Nec ineleganter eos eludit Plinius: Invenit, inquiens, sibi ipsa mortalitas numen, quò minus etiam plana esset de Deo conjectatio. Toto quippe mundo & locis omnibusq; horis omnium vocibus Fortuna sola invocatur, una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur & conviciis colitur. Volubilis, à plerisq; etiam cæca existimata, vaga, incerta, varia, indignorum faulrix: Huic omnia expensa, omnia feruntur accepta, lib. 2. c. 7.

XXXIV.

Hanc igitur paganam, vesanam, ethnicarumq; superstitionum plenam philosophandi rationem ad orcum remittentes, alterum nostræ disputationis membrum, in quo vera sanæ philosophiæ sententia de fortuna & casu exprimeretur, aggredimur, explicaturi 1. An sit fortuna & casus. 2. Quid sint. 3. Quæ proprietates. 4. Quæ divisiones. 5. Quomodo convenient, quomodo differant cum inter se, tum à causis per se.

XXXV.

I. Primum quod attinet membrum, fortunam & casum revera in rerum naturâ dari Aristoteles ante probationem divisiones quasdam τῶν γνωμῶν præmittit, quarum prima est trimembris: τὰ μὲν γὰρ ἀνάγκης, αἰεὶ, ὡσαύτως, τὰ δὲ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, τὰ δὲ ὡς ἄρα ταῦτα, quedam semper fiunt, quedam plerunq; seu frequenter, quedam deniq; neutro modo, sed raro, ad quod posterius fortuna & casus referantur.

XXXVI.

II. Τῶν γνωμῶν τὰ μὲν ἐνεκά τῃ γίνεται, τὰ δὲ ἄ, quedam alicujus finis gratiâ fiunt, ut ambulatio propter sanitatem, quedam propter nullum finem, ut fricatio barba. III. Καὶ τῶν τὰ μὲν κτὲ πωγαίρεσιν, τὰ δὲ ἄ κτὲ πωγαίρεσιν illorum qua propter
B
finem

finem aliquem fiunt, fiunt quaedam ex praelectione, ut opera humana; quaedam non, sed ex naturali inclinatione, ut brutorum rerumque naturalium actiones.

XXXVII.

IV. Causa per accidens dividitur in eam, quae conjungitur causa per se, ut cum Architectus est simul Musicus; tum quatenus est Architectus, dicitur causa per se domus, quae autem Musicus, per accidens causa: & in eam, quae conjungitur cum effectu per se, e. g. ignis est causa per se combustionis ligni, per accidens autem ruina parietis ligno innitentis.

XXXVIII.

Exinde jam elicit Philosophus rationem, cur fortuna & casus in rerum naturam locum mereantur, quia dantur 1. raro contingunt. 2. causa & effectus per accidens. 3. res quae fiunt alicujus gratia, consentientibus omnibus hominibus.

XXXIX.

Quae sententia non pugnat cum doctrina Christiana, nec providentiam divinam tollit: non enim respectu primae & universalis causae Dei, fortunam & casum ponimus, siquidem Deo omnia exactissime praescienti nihil fortuito, nihil casu accidere potest, sed respectu duntaxat particularium agentium; teste Thomae: Casus & fortuna dicuntur per comparationem ad causas proximas, non autem ad providentiam divinam, secundum quam nihil temere fit. part. I. q. 116. art. 1.

XL.

Unde Boetius: Si quis, ait, eventum nullam causarum connectione productum, casum esse definiat, nihil omnino casum esse confirmo: Quis enim coercente in ordinem cuncta Deo locus ullus temeritati reliquus esse potest? libro 5. de consolat.

Præterea

XLI.

Prætereà si quid fortuitò respectu Dei evenire posset, posset Deus alicujus causa esse per accidens, & sic haberet aliam se nobiliorem, cum omnis causa per accidens ad aliquam causam per se revocetur.

XLII.

Rectè igitur Augustinus, quicquid, inquit, casu fit, temerè fit; quicquid temerè fit, sine providentia fit: sed nihil extra divina providentiæ regulam accidit: ergò respectu illius nihil temerè aut vice fortuità potest accidere.

XLIII.

Nec quicquam obstat, quò minus unum idemq; diverso considerandi modo fortuitò & non fortuitò evenire dici queat. Si quis enim fingat Dominum mittere unum servum Lipsià VVittebergam, alterum, isto ignorante, in alium locum, quò non possit pervenire, nisi occurrat priori servo: tunc occursum iste respectu servorum insciorum esset fortuitus; neuter enim hunc finem intendebat, ut suo conservo obviam veniret, sed ut mandatum Domini exequeretur: respectu autem heri iste occursum non fuit fortuitus, quia id & novit & præcepit. Eodem sese modo habent res fortuitæ ad causam primam & secundas.

XLIV.

Unde nonnullis fortuna est occulta causa, sicuti Cicero testatur, fortuna, inquit, appellatur propter ignoracionem & obscuritatem verarum causarum, ejusq; vocabulo philosophi utuntur, cum vera & propria causa nobis cognita non est lib. 1. Academ. quest.

XLV.

Quam mentis caliginem Dn. Philippus quodammodo depulsurus, omnes eventus fortuitos ad sex potissimum causas

per se reduxit: 1. ad Deum, 2. ad bonos malosve Spiritus, 3. ad inclinationes stellarum, 4. ad temperamenta hominum, 5. ad eorundem mores, 6. ad materia fluxibilitatem.

XLVI.

Definitio autem fortuna ab Aristotele hæc est tradita: ἡ τύχη ὅτιν αἰτία καὶ συμβεβηκός ἐν τοῖς ἐπιπέτοις καὶ ἀερίαισι τῶν ἐνεκά τῃ: fortuna est causa per accidens in iis, quæ raro contingunt secundum electionem eorum, quæ alicujus gratiâ fiunt.

XLVII.

Cujus definitionis singula particulae probè sunt ponderanda, earumque occurrunt 5. 1. causa. 2. per accidens. 3. raro, 4. propter finem aliquem. 5. ex electione.

XLVIII.

Quòd fortunam vocat causam, discessum facit ab iis, qui eam pro fortuito eventu usurparunt: Quomodo Boetius lib. de consolat. prof. 1. fortunam & casum definit: Casus est inopinatus aliquis ex fluentibus causis, in iis, quæ ob aliquid geruntur, eventus.

XLIX.

Non autem quamlibet causam intelligit: materia namque & forma ad partes ipsius effectus essentielles, verbi gratiâ thesauri, pertinent, at fortuna essentiam thesauri non constituit, potest enim thesaurus esse, licet non fortuito inveniatur. Nec eadem ad finem est referenda, quippe cuius gratiâ aliquid fit, & ab agente intenditur. Unde patet, ad causam efficientis genus eam reducendam esse, astipulante Philosopho: τὸν δὲ τρόπον τῆς αἰτίας, ἐν τοῖς ὅθεν ἡ δέχη τῆς κινήσεως, ἐκάτερον αὐτῶν, 2. phys. c. 6.

L.

Et ne efficiens causa per se accipiatur, restringitur hoc genus

nus

nis vocabulo per accidens: non quod accidat causa per se, ut cum sutor est simul Musicus, tunc Musicus est quidem calcei causa per accidens, non autem fortuna: Sed quia ipsa causa per se non confertur cum eo, quod effectui per se accidit. e. g. si quis comparanda eruditionis ergo Lipsiam proficisceretur, & in itinere centum florenos invenires, tunc profectio ista esset per se causa addiscendarum artium, per accidens autem inventa pecunia.

L I.

Quando igitur causa per se alia accidit diversa ab illa, tunc unus est effectus, sed duplex causa, ut Architectus quæ talis, est causa per se, quæ autem Musicus, causa per accidens domus tanquam unius effectus. Quæ causa per accidens fortuna non competit.

L II.

Sin uni eidemq; causa per se assignantur duo effectus, unus per se, alter per accidens, fortuna tum locum habet in ea causa, quatenus refertur ad effectum accidentalem.

L III.

Qui, ut tertia definitionis conditio innotescat, cum causa per se conjungitur vel necessario & semper, ut combustioni ligni, cui paries innititur, semper conjungitur ruina domus; vel frequenter, ut sanitatis jaectura plerunq; comitatur nimiam vini potationem; vel deniq; raro, ut effodienti terram raro contingit thesaurus: prioribus duobus rejectis, posterior duntaxat effectus appellatur fortuitus.

L IV.

Quarta particula innuit, fortunam esse eorum, qua alicujus gratia fiunt: non quod vel fortuna finem intendat, vel effectus fortuitus sit ab agente intentus, sed 1. quia si agens eum præscovisset, utiq; eum vel expetendum vel fugiendum pro-

posuisset. 2. quia effectus fortuitus accidit vel effectui per se ab operante intento, vel cause per se, per se effectum producenti. Unde rectè fortuitum dicitur, quod accidit præter intentionem agentis.

L V.

Dicitur autem aliquid agere propter nullum finem: 1. ratione absoluta perfectionis, cum quid propter se & non propter aliud agit. 2. ratione defectionis, quando quis e. g. altis cogitationibus immersus fricat barbam, & quid rerum interingerat, nescit.

L V I.

Ultima particula, Ex Electione, Fortuna est propria, eamq; restringit ad solum hominem, qui & περὶ ἀρετῶν πρῶτον dicitur, cui etiam propriè competit esse fortunatum vel infortunatum. Hinc περὶ τὸ αὐτὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ κακὸν ἢ ἢ δὲ περὶ ἀρετῶν καὶ ἀνὸς ἀγαθίας, ut ait Philosophus 2. Phys. cap. 5. Mens igitur est, quæ praelegit, & in iis rebus, quæ praeleguntur, cum quid non praelectum accidit, fortuitum appellatur.

L V I I.

Proprietates fortunæ tres ponuntur: 1. Quod fortuna sit causa indefinita & homini occulta, infinita enim uni possunt accidere, teste Themistio, qui thesaurum, inquit, multis & infinitis ex causis reperiri posse, gratiâ, factis, & institutis alterius, videlicet ferendi gratiâ, pavimenti sternendi, deducendi aqueductus ad puteum, constituendæ condendæque sepultura, templa adificandi, atque similibus infinitorum. 2. phys. super text. 51. & philosoph. 2. phys. cap. 5. Cum quis in forum ambulaverit, & argentum acceperit, non veniens huius gratiâ, id fit fortuito; Causa enim sunt multitudine infinita; nam & videre aliquem volens, & per.

& persequens, & inspecturus, & fugiens causa hoc modo dici possunt.

LVIII.

2. Fortunam quodammodo non esse causam, idest, per se, & quodammodo esse, puta ex accidenti: 3. τὴν τύχην εἶναι ὡς ἀλόγον ἀ ratione alienam: ὁ γὰρ λόγος ἢ τῶν αἰετῶν, ἢ τῶν ὡς ὑπὲρ τὸ πολὺ. ἢ δὲ τύχη ἐν τοῖς γινομένοις ὡς ἀ ταῦτα. ὡς ἐπειδὴ αἰετὰ τὰ ἔτις αἴτια, καὶ ἡ τύχη αἰετὸν 2. Phys. cap. 5.

LIX.

Dividitur fortuna: 1. in causam remotam & propinquam, ut si viator Noribergam proficisceretur, ipsiq; in itinere obviam veniret princeps quidam, & largiretur tot florenos, quot milliaria emensus fuisset; tum profectio ista esset causa per se negotij Noribergæ expediendi: cui duo fortuiti effectus accidunt, quorum propinquior est, larga pecunie donatio, remotior principis obviatio.

LX.

2. In ἀγαθῇ secundam, & Φαύλῃ adversam. Ἐτυχία δὲ εἶναι, ὅταν ἀγαθὸν ἢ ἀποβῆ, δυστυχία δὲ, ὅταν Φαῦλόν ἢ, καὶ ὅταν μέγαν ἢ ἔχοντα ταῦτα.

LXI.

Et licet ista magnitudo boni malivè non semper reipsa nobis eveniat: tamen etiam τὸ ὡς ἀ μικρὸν κακὸν ἢ ἀγαθὸν λαβεῖν μέγα, ἢ δυσχεῖν ἢ εὐτυχεῖν εἶναι. Ratio est, quia ὡς ὑπάρχον λέγει ἡ Ἀράνοια. Τὸ γὰρ ὡς ἀ μικρὸν ὡς ἄρ' ἔδεν ἀπέχειν δοκεῖ.

LXII.

Unde subdivisio fortuna prospera & laeva elicitur, quod vel sit magna vel parva, magna in rebus optatis εὐτυχία, in duris verò δυστυχία nuncupatur.

Atiri.

LXIII.

Attributum denique τῆς Ὀτυχίας additur, quòd sit ἀβέβαιον, ὅτι ἡ τύχη ἀβέβαιος, Ἐὰν τὸ εἶναι ἐν τοῖς ἐπ' ἑλαττον.

LXIV.

Casus definitio definitioni fortuna includitur, estq; omisso tantum vocabulo κτ' περιήρσειν, talis: ταυτόματόν ἔστιν αἴτια κτ' συμβεβηκὸς ἐν τοῖς ἐπ' ἑλαττον τῶν ἐνεκά τ' μὴ κτ' περιήρσειν: Quam Lambertus de Monte sic reddidit: Casus est causa per accidens eorum, quæ fiunt extra semper & frequenter propter hoc in non agentibus secundum propositum. 2. phys. fol. 50.

LXV.

Conveniunt fortuna & casus 1. τῷ ἀμφοῦ εἶναι αἴτια κτ' συμβεβηκὸς, quòd sint causa efficientes accidentaria. 2. ἐν τοῖς ἐνδεχομένοις γίνεσθαι μὴ ἀπλῶς μηδὲ ὡς ἔπι τὸ πολὺ, quòd raro fiant. 3. τῷ εἶναι τέτων, ὅσα ἀνθρώποιτο ἐν τοῖς ἐνεκά τ', quòd in eorum numero sint, quæ fieri possunt alicujus gratiâ.

LXVI.

Differunt autem 1. latitudine, casus enim quandoq; universaliter pro qualibet causa tam liberâ quàm naturali sumitur, quæ vel finem propter quem operatur, cognoscit, vel minus, sed ex naturali duntaxat inclinatione ei à cognoscente primo concessâ, eum intendit, cujus effectus per se simul annexum habet aliquem per accidens; Et sic casus comprehendit etiam fortunam.

LXVII.


Quandoq; accipitur strictius prout causam tantummodo naturalem denotat, & sic à fortuna differt, quòd hæc referatur ad ea, quæ dicuntur ὁλως περάττειν, περᾶξις autem à mente est, & homini saltem competit, quippe in quem cadit Ὀτυχία, αὐτῆ

LXXII.

3. *In comparatione casu potius quam fortuito monstrum fieri dicitur. Quamvis ἡγή τῆτο ἔτερον τὸ μὲν γὰρ αὐτομάτη ἐξω τὸ αἰλιον, ἔῃ τὸ φύσιν, ἐντὸς.*

LXXIII.

Sunt igitur fortuna & casus posteriora mente & naturā, quia illa sunt causa per accidens ὡν τὸ π λήθ & ἀόριστον, has verò per se, & per consequens licet Democrito ejusq; affectis concedatur, quod tamen à nemine fit, casum esse cæli, hujusq; universi causam, dabitur nihilominus alia prior, quippe omnis causa per accidens ad aliquam per se referri potest: illa autem prior, imò prima omnium est Deus ter Optim. Maxim. cunctarum rerum creator & conservator benedictus in secula.



An & quomodo prima causa concurrat cum secundis ad operationes?

Nonnullorum fuit opinio, DEUM post rerum creationem nihil amplius agere, sed creaturis ab initio & esse & virtutem operandi dedisse, iisq; propagationem & multiplicationem hujus mundi commisisse per verbum: *Crescite & multiplicamini*: Item, *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen juxta genus suum*. Quod etiam rationibus probarunt 1. quia duæ causæ ejusdem ordinis non requirantur ad eundem effectum, nisi alterutra destituatur sufficiente virtute ad producendum illum. 2. quia Deus ad eò perfectas condiderit creaturas, ut per se & absq; concursu novo operari possent. 3. quia aliàs & Deus & creaturæ agerent, ut partiales causæ. Nos concursum

cursum primæ causæ cum secundis liberis ad Theolo-
giam remittentes, de naturalibus cum Scaligero exer-
cit. 77. sect. 5. statuimus, omnia, quæcunq; agunt ali-
quid, vi ac virtute primi agentis agere, quia dependent
ab eo non solum in esse, sed etiam in operari, juxta di-
ctum Scripturæ: In ipso vivimus, movemur & sumus.
Atq; hic concursus primæ causæ non tantum fit imme-
diatione virtutis, sed etiam suppositi. Si enim DEUS
concurreret cum causis secundis per solam immedia-
tionem virtutis, tunc quæreretur, an per virtutem crea-
tam vel increatam concurrat, si per creatam, non erit
alia à virtute earum causarum quæ agunt, & sic Deus
concurreret remotè: si per increatam, sequitur, quod
etiam immediatione suppositi, sine quo virtus increata
esse nequit. Neq; hic concursus divinus est aliquid rea-
le impressum à Deo causis secundis, quod earum actio-
ni sit præsuppositum, ab eaq; distinctum, sed est ipsa
actio secundæ causæ, prout immediatè ab Essentia di-
vina promanat, & cum actione inferioris causæ ad eun-
dem effectum concurrat, juxta cujuslibet rei naturam,
in prima creatione concessam, cum liberis liberè,
cum necessariis necessariò, cum contingentibus con-
tingenter, effectumque in specie non sibi sed causæ se-
cundæ assimilat. DEI namque concursus non est
unus & idem cum omnibus secundis causis, sed pro
earum diversitate diversus, ita ut iste, quem equo ad-
hibet, specie distinguatur ab eo quem homini, quia
nonnullæ actiones vel toto genere, vel specie vel cer-
tè numero inter se differunt; concursus autem nihil
est aliud quàm actio ab eo proveniens. Unde simul
apparet, Deum aliter influere in effectum, quando so-
lus

lus

Ius eum producit, & aliter quando eum secunda cau-
sa in operando concurrat: dum enim solus agit, to-
tam & sufficientem ad productionem effectus actio-
nem adhibet: dum verò eum secundis causis concu-
rit, minorem tribuit, quia minor requirebatur. Et
hæc operatio nihilominus in suo modo & ordine cau-
sandi est totalis & completa, eò quòd non major
vel minor concursus ad producendum
effectum requiratur.



F I N I S.



Coll. diss. A. 98, misc. 74